

1
19
2

2

3.

4.

5.

6.

7.



1724.

1^o Beckius, Caput de habitus: De jure principis circa
Comitia ministrorum et Vasallorum. 2. Junii. 1724

2. 1754.

2. Brucknerus, Gunt. Hirs.: De jure retentionis debitoris
contra creditorem in Saxonia Electorali competente
3. Brucknerus, Gunt. Hirs, vrd. jus. Decanus: De jure princi-
palitatis, quatenus illud recte se habet, et quatenus
etiam perperam extenditur, occasione Disputatio-
nis solennis Johannis Gusepriedi Begeri. Programma.
4. Brucknerus, Gunt. Hirsingens, Fac. jus. Decanus:
Programma, quo . . . dicitur: De ratione et methodo
studiorum juris huius subjungit vitam Candidati
Christiani Gottlieb Buderii, Gellio theorici . . . in
acad. Tenensi, simul etiam ad Dissertationem: De juramen-
tis episcoporum in Germania . . . habentem intro-
dit:
5. Brucknerus, Gunt. Hirs., Fac. jus. Decanus: Programma: De
variis modis, quibus aliqui vim juramentorum eludere conantur,
sed frustra, occasione Disp. solennis . . . a . . . Georgio Hurio
Orth. . . habentem

- 1724.
6. Boninquell, Jo. Salom. : Prolesio aced : de utilitate
 ex comparatione omnium ejusdem inscriptionis
 in Digestis caputun capienda de que hujus artificii
 inventoribus et promotoribus, vultuibus Compendii
 Lanterbachiani . . . praemissa. Manuscript. 12
7. Voyn, Jo. Christoph. : De eo, quod justum est circa
 dignitates illustres. 13
8. Fickius, Joan. Jacobus : De meritis seu merore.
 9^{ae} Floridius, Jo. Inestus : Commentatio de origine
 honorum mensae Episcopalis. 2 Saemph. 14
10. Friesen Jo. Bernhardus, Ord. Jur. De causis : et dispu-
 tationem inang : De jure fructuum a bonae fidei possessore
 perceptorum a . . . Christian Fieder. Wintoro . . .
 habendam invitatio. 15
11. Herkleben, Johannes Henricus : De poena rei litem vel
 plane non, vel non esse contestantis. 16

1724.

12. Hartmannus, Fehemus: De laetitia locatione conduc-

tione.

13. Kueblerus, Heuricus: De indole fictionum hereditariarum moralium praecipue et mathematicarum.

14. Neugytius, Gualterus: ad exercitium disputatorium . . .
super Georgii Besieri portiones juris instituentium
. . . iuramentis et de Disputatione fori . . . praefatio

15^{a, b, c} Sturmus, Burcardo Gottelppus: De dominio directo
in alieno territorio, cum primis serenissimus in marggra-
viorum Brandenburgensium tanquam Burgensiorum Norim-
bergensium in Austria. 3 Decemb. 1724^a 1743

16. Sturmus, Burcardo Gottelppus: De ecclesia circa reli-
gionem

17. Sturmus, Gualterus: Hobbesius socialis.

1724.

18. Sturmius, Gallus: Imperator C. Tertius Caesar unus imperator hoc est: De imperio et regno Germanico semper Electivo

19. Wildvogelius, Christianus: De actate et iuribus circum eam obtinentibus.

20. Wildvogelius, Christianus: Programme ineng: De petitione incivili, ed. 1. 12 P. de us. vind. (ad Dissertationem solennem Johannis Gallitii Brendelii inserta)

21. Wildvogelius, Christianus: De recusatione iudicis episcopi usq. et abusu.

22^o Wildvogelius, Christianus: De jure factum a bona fidei possessore perceptum. 2 Bampf.

23^o Walzogen et Mentaus, Fridricus, Gber. berov. a: De comitiis infantium inter Illustres maxime frequentata

2 Bampf. 1724 & 1735

1724, 2
3
1724, 2
3
1724, 2
3

DISSERTATIO IURIDICA INAUGURALIS
DE
IVRE RELICTIONIS DEBITORI CONTRA CREDITOREM IN SAXONIA ELECTORALI COMPETENTE,

ADVENTE ^{QUAM} NUMINE DIVINO
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO
DOMINO

GVILIELMO HENRICO

DUCE SAXONIAE IVLIACI, CLIVIAE AC MONTIVM,
ANGARIAE WESTPHALIAEQVE ETC. ETC.
PRAESIDE

GVILIEL. HIER. BRVCKNERO

ICTO, CONSILIARIO SAXONICO, PANDECTARVM P. P. CVRIAE PROVIN-
CIALIS, FACVLTATIS IURIDICAE ET SCABINATVS ASSESSORE GRAVIS-
SIMO, EIVSDEMQUE FACVLTATIS h. t. DECANO SPECTATISSIMO
PATRONO AC PROMOTORE SVO AETERNVM SVSPICIENDO

PRO LICENTIA

SVMOS IN VTROQVE IVRE HONORES AC PRIVILEGIA CONSEQVENDI
PVBLICAE ERVDITORVM DISQVISIONI
SVBMITTIT

AD DIEM XI. MARTII M DCC XXIV.

A V C T O R

IOANNES GODOFREDVS BEYER,
DRESDENSIS.

I E N A E, LITTERIS MVLLERIANIS.

J. Müller, Buchhändler

DISEPT. TIO. INVENCA. INAGVALLIS

INRE REVOLUTIONIS DEBI
TORI COMIT. A. GRINIO
EAM IN SAXONIA FALTO
RALE COMITENT

ADVENT. NOME. DRING
FACTORE. MAGN. MENTINI. D
REARMING. PRINCE. AC. D. MING
D. RING

GVALHIMO HENRICO
DVE. SAXONIE. INIACE. CIVINE. AC. MONTIVRI
ANGINE. WESTPHALINE. STE. ETC.

ALTHE. PHIL. BAYC. BRO
FORNARD. VALLIO. V. GORTIA. IN. F. R. ONE. LEVRE
RECVIAT. PRONAL. ET. MONT. A. MONT. CLAVI
HIS. RICHARD. F. MONT. A. MONT. CLAVI
HIS. RICHARD. F. MONT. A. MONT. CLAVI

INQ. LIBERTIA
MONT. IN. VINO. F. MONT. A. MONT. CLAVI
V. MONT. A. MONT. CLAVI
MONT. A. MONT. CLAVI

AD. DIEM. XI. M. IN. MONT. CLAVI
ACTOR
GAVES. GODOR. EDYS. BEYER

IN. F. MONT. A. MONT. CLAVI





§. I.

IN quotuplici significatu vocabulum
Jus sumatur, nostri propositi hic
non est, multum disquirere; sed,
omnibus ambagibus sepositis, pro-
pius accedimus ad nostrum insti-
tutum. Cumprimis hic praelimi-
nariter monendum est, quod mul-
tis regnis, provinciis, terris atque civitatibus varia at-
que peculiaria arrideant jura & Statuta, nec omnes iis-
dem gaudeant legibus. Sed discrepant inter se juxta
opinionem atque voluntatem legislatorum suorum,
licet multae gentes Europae pro norma atque regula
acceperint Jus Romanum Justinianicum, singulae
tamen civitates singularibus fruuntur legibus, quae
in Jure Romano minime fundatae, & praesertim
in Germania nostra multa introducta sunt per consue-
tudines, quae quandoque derogant Juri scripto arg.
L. 32. §. 1. ff. de LL.

§. II.

Videmus hoc etiam, quod obtineat in patria mea,
Saxonia Electorali, cum in hac Jus Reluicionis intro-
ductum sit, cujus tamen plane in Jure communi nul-
la fit

A

la fit

Ia fit mentio. Sed placuit Serenissimo legislatori, hoc certis in casibus concedere debitoribus. Est autem peculiare beneficium debitoribus competens intra anni spatium recuperandi bona subhastata in casu, quando creditor absque prævia judiciali taxatione & deficientibus aliis licitatoribus, in supplementum fuerit licitatus, & bona ipsi fuerint adjudicata. vid. MARTINI ad O. P. S. tit. 39. §. 13. n. 107.

§. III.

Diximus jam, quod hoc Jus debitoribus competat? quæritur inde, an illud etiam aliis tribuatur? sed hoc negandum est. Nam de Jure Saxonico Electorali & imprimis O. P. S. tit. 39. §. Damit aber der Schuldner 10. datur solummodo debitori annus ad relinquentiam, intra quem vel ipse, vel per alium pinguiorem emtorem bona redimere valeat. vid. O. P. S. d. l. & ad eandem PHILIPPI tit. 39. Consid. 10. etiam a quocunque possessore CARPZ. in Proc. tit. 25. art. 5. n. 33. seqq. Si modo emtor fuerit creditor, nec forte alius extraneus O. P. S. d. l. atque ita prom. Scab. Lips. mens. Jul. 1732. in causa Sebastian. Ordens. Debitor autem expressa reservatione opus non habet, quia nullum est dubium, quin ipsi hoc citra illam competat.

§. IV.

Rationem, quæ impulerit legislatorem, in promptu esse, nemo negabit; Nam sine dubio ejus mens fuit illa, ut debitoribus succurratur, qui, quando solus creditor fuerit licitatus, de nimia læsione & fraudulenta creditoris extorsione conqueri possunt, & licet forte creditor bona fide egerit, adhuc tamen præsumi potest,

potest, ipsum forsitan necessitate coactum, nimirum ut ad suam solutionem perveniret, fuisse licitatum. Æquitas inde impulit Serenissimum Saxonie Electorem, ut hanc legem ferret.

§. V.

Tempus, intra quod relitio obtineat, est Spatium integri anni, non Saxonici, sed civilis, & hoc liquet ex Decis. Elect. noviss. XI. nimirum ut prædictus annus CCCLXV. dies, vel quod idem est LII. hebdomadas, unumque præterea diem contineat, si autem hic annus intercalaris est, unus adhuc dies accedit, conf. Perillust. Dn. BERGER. in *Elect. Disc. Forens. tit. 39. Obs. 11.* MARTINI ad O. P. S. tit. 39. §. 13. & PHILIPPI in *Tract. de Subhastat. Cap. 4. comm. 13. n. 85.* Idem ad O. P. S. tit. 39. *confid. 11.* CARPZ. p. 1. *const. 32. def. 52.*

§. VI.

Annus autem hic ex mera gratia Electoris debitoribus ad reluenda bona subhastata concessus, a quo tempore incipiat, difficillimæ est discussionis. Variant hic Doctores inter se atque disident, utrum annus relictionis currat statim a Jure licitationis quæsito, an ab additione seu judiciali adjudicatione. Recentiores DD. BERGERVS in *Elect. Disc. Forens. tit. 39. Obs. 11.* & RIVINVS in *Enunc. Juris tit. 39. En. 60. Et tit. 40. En. 17.* prioris sunt sententiæ. CARPZ. vero P. I. *Constit. 32. def. 54.* PHILIPPI in *Tractat. de Subhastationibus cap. 4. comm. 13. n. 111. seqq.* & MARTINI ad O. P. S. tit. 39. §. 13. n. 55. *seqq.* sunt posterioris. Hi allegati Autores putant, suam opinionem firmiori insistere, talo, quam allegatorum recentiorum sententiæ, nimirum

mirum CARPZ. PHILIPP. & MARTINI dictis locis
 sumunt argumenta. 1.) a favore, ob quem jus reuic-
 tionis debitori concessum sit, & dicunt, quod favor ille
 certe nimis restringeretur, si ab ipsa licitatione, non ve-
 ro ab adjudicatione annus reuicendi computandus esset.
 Hoc loco CARPZOVIVS sibi metipsum contradicit,
 quando statuit *P. I. Constit. 32. def. 52. n. 8.* quod jus re-
 uicitionis sit odiosum quid, ergo restringendum, sequi-
 tur inde, quod etiam hoc casu restringatur, necesse sit.
 Cum hac dissentanea sint: odiosa extendere & favora-
 bilia coarctare. 2.) argumentantur e sanctione Electro-
 rali, debitori jus reuicitionis tribuente intra spatium an-
 ni ab eo tempore, quo bona subhastata ad creditorem
 praeuia licitatione pervenerunt: Als ihm das Gut zu-
 forunt, Ord. Torgav. de anno 1583. tit. vom feilbieten n.
 §. Damit auch der Schuldner n. & dicunt, quod ante
 adjudicationem bona haud pervenerint ad creditorem,
 quia sola judicialis adjudicatio loco traditionis sit & do-
 minium rei subhastatae in licitatore transferat. *Glossa*
in Land-Recht L. 1. art. 34. lit. A. & L. 3. art. 4. n. 7.
 PETR. HEIG. *P. II. quest. 17. n. 18.* Hic autem plane
 non attendenda est traditio, quae debeat secundum
 jus Saxonicum per adjudicationem seu judi-
 cialem resignationem fieri, & quae secundum idem jus
 per eandem dominium in rebus immobilibus transferat,
 cum §. Damit ader n. non requiratur, ut creditor
 praecise dominus sit rei subhastatae, licet exinde quis
 inferre vellet, si creditor non dominus est, non potest
 usucapere, & consequenter annus reuicitionis non cur-
 rit. Sed si dicendum, quod res est, nobis non est fini-
 gere

gere aliquid in casu ejusmodi peculiari, sed plane, quia relitio non solum non furdata est in jure communi, verum etiam illi contrariatur, stricte capienda sunt verba legislatoris. Itaque tacentibus legibus nobis etiam est tacere, & verba legis ita sunt capienda, quomodo fuerint posita. Nec ex dicto §. inferri potest, quod annus relitionis incipiat a tempore factæ adjudicationis. Sed militat potius allegatus §. pro nobis, quando leguntur in illo hæc verba: Wenn dem Gläubiger auf seine vorgehende licitation das Gut zußömmt. Ex quibus aperte jus non domini sed licitationis, ut vulgo ajunt, perfectæ das erstandene licitations-Recht, indicatur. Verbum illud: zußömmt, inchoative non consummative capiendum est de jure, quod perfectum est, quamvis dominium nondum creditor fuerit consecutus, maxime cum jus Saxonicum, quod admittit relitionem, juri civili repugnet, ut DD. Saxonici per l. 16. C. de resc. vendit. l. 1. & ult. C. si propter publ. pens. l. 8. C. de remiss. pign. & l. 5. C. de fide & jur. bass. fisc. convicti fatentur, atque adeo stricte sit capiendum. Dn. BERGER. in *Elect. Disc. For. tit. 39. Obs. 11.* & RIVIN. in *En. Jur. tit. 39. En. 60.* pluribus hanc sententiam defenderunt. Et quod annus relitionis incipiat a tempore perfectæ licitationis, non vero factæ adjudicationis correspondent paulo ante allegatis autoribus Colleg. Facult. Lips. vid. RIVINVS in *En. Juris tit. 39. En. 60.* & deinde summus Provocationum Senatus hanc confirmavit Sententiam, vid. Dn. BERG. in *Elect. Disc. For. tit. 39. Obs. 11.* Porro Ordinatione Recognita comprobatur, & hæc

non est Jus novum, sed veteris declaratoria. Multa porro rationes hic essent adjungenda, quod hæc Sententia sit magis probata, quam vetus opinio. Subjungo igitur hæc rationes sequentes 1.) Quia hic annus a tempore perfecti contractus est computandus, & quod contractus hic perfectus sit, quando nimirum licitatio ad finem fuerit perducta, nemo dubitet. Nam quid mihi est cum dominio, aut cum resignatione judiciali Saxonica? alias enim si omnia secundum jus Saxonicum hoc in casu observari debeant, etiam necesse sit, ut annus Saxonicus, non vero civilis observetur. Electore vero hoc non ita volente, & propterea peculiarem decisionem in ordine XI. constituyente, cur non etiam in temporis computatione a vulgari opinione recedendum erit? Nec attendi debet hæc argumentatio: quamdiu dominium in creditorem nondum fuit translatum, tamdiu etiam annus relutionis currere non incipit, quum tamen, ut ante monuimus, statim post perfectam licitationem contractus sit perfectus, & solummodo ex gratia legislatoris hic annus debitori fuerit concessus ad reluendum bona sua. Hac igitur gratia debitor, ne abutatur, sibi præcaveat. 2.) Quia est jus exorbitans, quod magis restringendum quam extendendum venit. Exorbitans est illud propterea, quia est contra jus commune, secundum quod ejusmodi licitatio haud rescindi poterit. 3.) Quia debitor sat magnum beneficium habet, quando ipsi integer annus a tempore perfectæ licitationis ad reluendum est concessus. Et posito etiam, quod intra hoc tempus haud nancisci possit tantam pecuniæ summam, quæ

quæ ad relutionem sit necessaria, aut pinguiorem emtorem invenire nequeat, tamen emtori non injungendum, ut tamdiu relutionem expectet. 4.) Quia debitor, si obtineret contrarium, adjudicationem pro viribus impediturus, & in quam plurimos annos dilaturus esset. Hinc apparet, quod per nostram sententiam debitorum malitiæ obviam eatur, atque proterviæ, cui nimis obarati plerumque indulgent, obexponatur. 5.) Quia emtor, contrario obtinente, diu incertus erit de re, cujus tamen periculum subire tenetur. Nunc autem volunt leges jubentque, ut rerum dominia sint certa, itaque etiam certa tempora, certique modi præscriptionibus assignari debent. Et quid magis impium est atque iniquum, quam, cum emtor subito post perfectam licitationem periculum rei emtæ in se suscipere obstrictus est, ipsi injungere, ut se ingenio debitoris accommodet, qui, ut plerumque percipimus, differt tempus in aliud tempus ad impedendam judicialem adjudicationem. 6.) Quia ille nec ædificaret, nec alio modo rem melioraret, ac verendum esset, ne agri jacerent inculti, aut domus cultior reddenda deformem redderet civitatem, aut plane ruinam minitaretur. Et scimus bene, quod nemo tam facile rem alienam sit curaturus, sed multo potius eandem neglecturus; itaque rei publicæ interest, ut quamprimum res fiant certiores, cum imprimis jus relutionis ex exorbitanti quasi gratia Electoris sit introductum, itaque tempus ad reluendum destinatum magis est coarctandum quam amplificandum. Et licet in Ord. Torgav. de melioratione prospectum sit,

ut

ut restituatur, attamen notorium est, quod ille bene agat, qui processus evitat, & quidem diuturnos, arg. l. 4. §. 1. ff. de alien. jud. mut. Denique 7.) Quia analogiæ Juris conformior hæc nostra sententia est, quam altera, & præsumendum est potius in dubio, quod legislator in *O. P. S. tit. 39. §. damit aber 2c.* non tam dominii, quam perfecti hujus contractus rationem habere voluerit, dum præsumptio adest, quod legislator magis juri communi se accommodare voluerit, quam exorbitans aliquid extendere. Nimius enim foret excessus in jure quodam per se exorbitante, quando quis cum jam dictis autoribus CARPZOVIO, PHILIPPI, & MARTINI amplificare atque extendere vellet tempus debitoribus ad reluendum concessum, atque ipsis favere, cum tamen nullo favore in LL. nostris gaudeant. Ad finem possunt præjudicia extantia apud Dn. BERGER. in *Supplem. Elect. P. II. tit. 39. suppl. 25.* & apud RIVIN. *tit. 39. En. 60.* conferri. Anno autem hoc elapso reluendi potestas haud amplius conceditur ANTONIVS FABER in *Codice Sab. L. 8. tit. 17. defm. 4.* nisi aut minor ætas, aut justa alia restitutionis concedendæ causa interveniat, & ex ea facta fuerit prorogatio. Eodem *tit. 20. def. 23.* Sed de hac materia agemus infra.

§. VII.

Casus ille, quo relutio obtineat atque debitori competat, est juxta jus Electorale Saxonicum unicus tantummodo, nimirum, quando creditor, deficientibus aliis licitatoribus, in subsidium fuerit licitatus, & eadem licitanti nec ab aliis superato bona subhastata fuerint

fuerint adjudicata, RIVIN. *in Enunc. Jur. tit. 39. En. 59.*
 Dn. WERNHER. *Obs. Vol. I. P. I. Obs. 281.* & ita ad iussu
 Potentissimi nostri Regis de dato Dresdæ d. 16. Jan.
 1700. responderunt Scabini Lips. in quam sententiam
 etiam abit CARPZ. *in Proc. tit. 25. art. 5. n. 14. seqq.*
 & *in Jurisprud. Forens. P. I. Const. 32. defn. 58.* Alio
 autem casu plane exulat relutio ; siquidem creditor
 vel superlicitatus fuerit, vel tanquam primus licita-
 tor ad tantum, quantum extraneus licitatus est, sese
 obtulerit, vel ei ab extraneo jus licitationis concessum
 sit, ut in Ordinatione Recognita habetur. Et plane
 non est, ut hoc jus ultra literam statuti exorbitantis
 producamus, ceu opinatur SVEND. ad FIBIG. p. 1066.
 cui obviam it MARTINI *ad O. P. S. tit. 39. §. 13. n.*
106. seqq. Illud autem, quod hic ex CARPZ. repetit,
 jure relutionis Electorem fraudulentæ solum credito-
 rum licitationi occurrere voluisse, propterea potissim-
 um improbat a SVENDENDOERFFERO, qui dicit,
 quod alioquin hoc inconueniens sequeretur, contra
 justam & æquam creditoris licitationem juri reluendi
 locum non esse, conf. Dn. BERGER. *in Elect. Discept. Fo-*
rens. tit. 39. Obs. 12. not. 2. Imprimis CARPZOVIVS
 P. I. *Const. 32. defn. 58.* multis argumentis corroborat
 sententiam illam, quod jus relutionis plane alio casu
 obtinere nequeat, nimirum sequentibus : 1) Quia me-
 tuendum esset, ne difficilior reperiantur, qui ad ejus-
 modi emtionem intra anni spatium rescindendam ac-
 cederent, non absque damno ipsius debitoris, & cre-
 ditorum, quorum interest maxime, bona subhastata
 cito distrahi, MATTH. COLERVS *de Proc. Execut.*

B

P. 3.

P. 3. c. 9. n. 107. 108. 2.) Quia non haberent, quod de
 latione forsan ultra modum conquerantur debitores ;
 nam, adempto sibi jure relutionis adversus extraneos
 licitatores, non opus habent querelis debitores, quasi
 hoc jus nimis sit limitatum atque constrictum, & tot
 limitibus laboret, ut modicum beneficii superfit.
 Denique in concursu creditorum hi ipsi vigila-
 bunt, ne fundus debitoris pro vili pretio vendatur ;
 alias enim verendum ipsis esset, ne quoad maximam
 partem solutione defraudarentur. Porro quando
 non a creditore ipso sed a iudice res fuerint
 aestimatae, & subhastatione facta, nulloque emto-
 re invento, qui majus offerret pretium, credito-
 ri volenti & licitanti adjudicatae, cessabit sine dubio jus
 relutionis, conf. BERLICH. P. I. Concl. 81. n. 195. &
 CARPZ. P. I. Constit. 32. Defin. 50. Idem in Proc. tit.
 25. art. 5. n. 18. & Dn. BERGER. in Supplem. Elect. tit. 39.
 Supplem. 16. ibique praesudicium. Competit enim hoc
 casu debitori aliud remedium ordinariam, quod scilicet
 ante subhastationem per Scabinos Provinciales possit eas-
 dem res iterum taxationi subijcere. P. I. Constit. 32. §. Wir
 de sich aber ic. & Ord. Torg. de anno 1583. tit. vom feils
 bisten ic. §. Da aber der Gläubiger ic. O. P. S. tit. 30.
 §. Wenn nun gleich ic. & §. Wird aber der Gläubiger
 ic. BERLICH. d. l. n. 217. COLERVS de Proc. Execut.
 P. III. Cap. 9. n. 120. 125. & CARPZ. d. l. nec non
 PHILIPPI in Tract. de Subhastat. Cap. 4. Comm. 15.
 n. 57. seqq. Itaque haud necesse esse putamus, quod
 hoc casu ad Jus Relutionis tanquam extraordinarium
 remedium confugiamus, arg. L. 16. ff. de minor. Hisce ita-
 que

que suppositis plane nullo alio casu, excepto eo, quem
 præmissimus, obtinere potest relitio; denegatur igitur
 debitori illud remedium, quando ipsemet
 rem non reluit, sed pinguiorem offert emtorem, cre-
 ditor autem illud plus, quod ille offert, ipse etiam
 solvere paratus est. Tunc enim creditori concedi-
 tur, ut res potius ipsi volenti, quam tertio illi emto-
 ri, quem debitor ipsi vult obtrudere, addicatur; vel
 propter jus protimiseos, quod alias contra extraneum
 exerceri potest, irrevocabiliter relinquenda est per
*Ord. Torg. tit. vom feilbiethen, §. damit auch der
 Schuldner ic. O. P. S. tit. 39. §. damit aber ic. in fine.*
 PHILIPPI in *Tract. de Subhastat. cap. 4. comm. 13. n.*
 69. Quod quidem BERL. *P. I. Concl. 81. n. 204.* etiam
 ad alium casum, scilicet, ut creditor tunc quoque præ-
 feratur, quando ipse debitor rem reluere paratus est,
 extendit, sed absque omni dubio contra tenorem &
 mentem dictorum textuum, qui hoc solummodo ad
 casum tertii emtoris a debitore loco suo in ejus vi-
 cem oblati restringunt MARTINI *ad O. P. S. tit. 39. §.*
13. n. 120. LL. v. & statuta strictè & in terminis pro-
prie ita loquentibus accipienda sunt, conf. TVSCH.
Tom. VII. Practic. Conclus. lit. G. concl. 578. n. 22, &
 PHILIP. *d. l. Relitio etiam locum non habet, si,*
 facta executione, bona absque subhastatione in so-
 lutum creditori fuerint data, CARPZ. *P. I. Confit.*
32. d. 33. PHILIP. de Subhast. d. l. n. 73. Hoc enim
 casu debitor de ulla læsione & fraudulenta extorsione
 a creditore facta conqueri nequit. Cum enim volue-
 rit bona sua dare in solutum creditori, habeat sibi, &
 licet

W. F. Fickel...



licet se ignorantia Juris tueri vellet, tamen ipsi succurrendum haud est; nam Jura ignorare impune haud permittitur, & qui in iis erravit, illi LL. haud subveniunt. Hisce itaque comparatis propter debitoris ignorantiam LL. haud extendenda sunt, quoniam premium ipsemet elegit, nec per subhastationis remedium pinguiorem quarere voluit emtorem, CARPZ. *d. l. def. 59.* & PHILIP. *d. l.* Hac est recta ratio Jus Reluitionis cessare faciens. Præterea quoque sanctio Electoralis disertis restringit verbis Jus Reluitionis ad eum tantummodo casum: quo licitatione facta, Jure subhastationis bona creditori fuere assignata. *Ord. Torg. de anno 1535. vom feilbiethen §. Damit aber ic. & O. P. S. d. l.* Haud aberrandum itaque ab hoc ad casus similes, nec aliis & diversis personis præter debitorem reluendi potestas indulgenda est. Ubi igitur Constitutiones Serenissimi Electoris. extensionem neuti-quam admittunt, nobis etiam non est licitum facere extensionem SCHVLZ. *Lib. II. Pract. Quæst. 65. n. 32.* Imo datio in solutum similis est venditioni *l. 24. pr. de pignor. act.* Quemadmodum autem contra venditionem semel perfectam venire venditori fas non est, ita etiam debitori contra dationem in solutum venire non licebit, *L. 10. C. de solut. SVENDEND. ad FIBIG. p. 1066. seqq. CARPZ. in Process. tit. 25. art. 5. n. 77. & P. I. Constit. 32. defm. 60. nec Ord. Torg. loquens de adjudicatione potest porrigi ad dationem in solutum BERLICH. Decis. 196. & MOLLER. ad Constit. Elect. P. I. Censf. 22. n. 17.* Peculiare quid Jure Lusatiensi constitutum est, ut hoc jus contra quosvis licitatores debi-

debitori competat, O. P. Super. Lusac. P. I. §. 4. Porro contrariam sententiam tuetur (quod præter recensitum in pr. hujus §. casum alii adhuc dentur) SVENDEND. ad FIBIG. p. 1066. n. 530. qui dicit, quod indistincte debitori relitio competat, non considerato, an creditor primus fuerit licitator, an secundus primumque licitatore superaverit, tum quod jus relitionis indefinite in O. P. S. d. l. §. sine ulla restrictione (qua neque ex antecedente §, neque ex præsupposito, quod jure relitionis saltem fraudulenta creditorum licitationi occurratur, firmiter inferatur, cum alias illud inconveniens sequeretur, quod relitio non locum habeat contra justam & equam creditoris licitationem) contra creditorem admittatur, tum quod a relitione is solummodo, qui creditor non est, adeoque emptor extraneus eximatur. d. l. tum quod relitio in favorem debitoris introducta magis sit extendenda, quam restringenda. CARPZ. in Proc. tit. 25. art. 5. n. 41. NICOLAI in Proc. P. III. cap. 5. n. 17. Contra hæc omnino inserviant adducta hoc §. argumenta, nec attendendus SVEND. contra ipsa statuta quid statuens. Evolvatur textus ipse O. P. S. tit. 39. §. damit aber der Schuldner ic. in quo extant hæc verba: Wenn dem Gläubiger, auf seine vorhergehende licitation, das Gut zuschömmt ic. ubi posito uno casu, cujus in §. immediate præcedenti facta fuit mentio, ordinatio ceteros excludit casus, quia est jus exorbitans, quod magis restringendum quam extendendum venit. Præterea in nostram sententiam abeunt, excepto SVENDENDOERFFERO, plerique DD. Saxonici, & ipse CARP-

ZOVIVS *P. I. c. 32. d. 59. & in Proc. tit. 25. art. 5. n. 16* ad quem tamen provocat SVENDENDOERFFERVS. Hisce addi potest, quod extraneus, quando contra illum debitor jus reuisionis exercere vult, ueri se possit exceptione non competentis actionis. vid. SVEND. ad FIBIG. *p. 1066.* Sed anne contra extraneam emtorem & subhastationem debitori licebit uti remedio *L. 2. C. de resc. vend.* Offerant se hic plures Doctores, pro & contra sentientes, quos vide apud MARTINI *ad O. P. S. tit. 39. §. 13. n. 90. & seqq.* nos ad stipulamur illis, qui negativam defendunt.

§. VIII.

Non possum, quo minus etiam discutiari, an jus reuisionis in rebus mobilibus obtineat? Ad quod respondeo, quod non. Id quod mecum facientes defendunt Dn. BERGER. *in Elect. tit. 39. Obseru. ii.* & PHILIP. *de Subhast. cap. 4. comm. 13. n. 80.* si enim ista iuxta *O. P. S. tit. 39. §.* findet sich aber sub fin. ab executore sint taxata & aestimata, sed creditore ea in solum accipere nolente, publice subhastata, nulloque emtore reperto, a creditore per licitationem aestimata, iterum proclamata, & plus offerenti vendita, vel emtore & plus offerente non comparente, creditori ipsi pro pretio oblato adjudicata sint, penes plus offerentem, vel creditorem manebunt, nec ulterius subhastari, nec sub pretextu laesionis ad meliorem taxationem vocari, multo minus a debitore redimi possunt. Quoniam quoad mobilia *O. P. S. d. l.* in ejusmodi venditione plus offerenti vel adjudicatione creditori pro oblato pretio facta acquiescit. Statutum autem

autem in certa forma ac solemnitate acquiescens ulterius extendi nequit, BERL. *P. I. Concl. 81. n. 97.* CARPZ. *P. I. Consl. 32. def. 34. n. 8. & in Proc. tit. 45. art. 5. n. 5.* SVEND. ad FIBIG. *p. 1075.* & PHILIP. *de Sub. bastat. d. 1.* Obstat enim reluere volenti exceptio non competentis actionis. Distinguunt aliqui Doctores Saxonici, inter quos est NICOLAI *in Processu p. 3. cap. 8. n. 22. & seqq.* inter res mobiles pretiosas & non pretiosas, ita ut illas perinde reuentioni obnoxias contentant, sicuti immobiles; sed ego indistincte statuo, reuentionem in rebus etiam pretiosis mobilibus, quæ juxta §. 7. *O. P. S. tit. 39.* prævia judiciali taxatione subhastari debent, locum non inuenire. Equidem inficias non eo, in rebus incorporalibus, v. g. jure habendi Tonstrinam, majorem subesse dubitandi rationem, propterea, quod ejusmodi jus, quotiescunque distrahitur, stylo fori Saxonici Electoralis non minus, quam res vere immobilis, citra resignationem judicialem & investituram valide non transferatur; sed cogitandum fuerit, utrum jus, quod a norma Juris communis defleat, neglecta verborum proprietate, ad res, quæ natura sua ad neutrum genus corporalium, mobilium & immobilium referri possit, produci queat. Neque enim alterum ex altero consequitur: Jus habenti tonstrinam, quoad sui translationem jure rei immobilis censetur, ergo etiam juri reuentionis Saxonice est obnoxium. Et licet pro negativa opinione satis speciose disputari possit, non tamen deficiunt pondera, quibus nihiloscilicet sententia affirmativa corroborari possit. Concedo quidem, quod *O. P. tit. 39. §. 13.* quo
de

de jure reuisionis ex instituto agitur, de solis rebus immobilibus sit accipienda, neque abnuo, in rebus mobilibus idem jus exulare eodemque § 8. ejusdem ordinationis pertinere. Nec satis argumentum, quod ex §. 9. dictæ Ord. ducitur, conuelli potest. Nam inquit ibidem Elector: Zu den liegenden Gütern und andern, so denen den Rechten und Gewohnheit nach, verglichen, pluribus vid. Dn. BERGER, in *Elect. Discept. For. tit. 39. obs. 11.*

§. IX.

Nec minus hisce casibus alium adjungere licet, nimirum de cessione omnium bonorum facta, an tunc etiam jus reluendi debitori competat? Et dico, quod sic; ratio in promptu est, quia per cessionem cedens non desinit esse debitor, adeoque etiam beneficiorum, quæ debitoribus concessa sunt, jacturam non facit, quod ipsum in discursu data occasione pluribus deducam, interim conferantur PHILIP. *de subhast. cap. 4. comm. 13. n. 21. seqq.* & MARTINI *ad O. P. S. tit. 39. §. 13. n. 6.* Dn. BERGER. in *Elect. tit. 39. obs. 12. n. 4.*

§. X.

Jus hoc reluendi seu redimendi siue in sententia siue pacto siue expresso jure debitori reservatum, an alteri cedi ac emtionis seu alio titulo in alium transferri possit? hoc loco quaritur. GRATIAN. *Discept. Forens. C. 978. n. 2. seqq.* MANGIL. *de subhast. quest. 153. n. 6. 7.* BERLICH. *P. 1. Concl. 80. n. 191.* & PHILIP. *d. l. n. 31.* ANTON. FABER in *Cod. Lib. 8. tit. 20. def. 22.* Hi allegati Autores, quibus se adjungit MEVIUS in *Discuss. levam. cap. 4. Sect. 12. n. 35. seqq.* stant

stant pro affirmativa sententia, nec ratione quadam destituti, cum scilicet omnia, quæ sunt transmissibilia, etiam cessibilia credantur & vice versa. *L. 42. de Administr. Tut.* nec ullam certam legem adesse dicunt, quæ ejusmodi cessionem prohibeat. Porro dant instantiam, a domino feudi desumptam, cui haud prohibitum sit propter Jus directum, quod in re feudali habet, hoc promissos jus etiam extraneo cuius cedere. TIRAQUELUS *de Retract.* §. 26. *Gloss. l. n. 44.* & PHILIP. *d. l. n. 35.* & argumentantur ita; Cui reluenti per novam investituram donare permissum, quidni per cessionem brevi manu in alterum conferre licitum? PHILIP. *d. l. com. 12. n. 4. seqq.* Pro negativa laborant SVEND. ad FIBIG. *p. 1065.* & MARTINI *ad O. P. S. d. l. n. 21. seqq.* qui rationibus majoris momenti pugnant, quando dicunt, quod jus relutionis ad solum debitorem restringatur, inque ipsius favorem duntaxat introductum sit, & oblationi extranei expresse contradiinguatur, quorum sententiam in foro nostro Saxonico veriore putamus, postquam & creditori permissum, majus pretium ab extraneo oblatum solvere, atque sic illum in totum excludere, PHILIPPI *de subhast. cap. 4. commat. 13. n. 69. & seqq.* quod, cessione subsistente, non liceret. Ut itaque omnino videatur distinguendum esse inter cessionem relutionis, quæ fit eo, quod a creditore solutum est, pretio, & tantum debitori competit, nec in extraneum transferri potest, ut personale beneficium; & inter oblationem alterius emtoris extranei ad majus pretium, quam creditor obtulit, solvendum, quæ ei permissa est, adeo ut, creditore majus pretium solvere recusante, tertius ille rem adjudicatam illo

C

pretio

Univ. Fickelshethian



pretio consequatur, confer MARTINI ad O. P. S. tit. 39. §. 17. n. 20. & SVEND. l. alleg. quibus assentitur Dn. BERGER in Elect. Obs. 12. p. 121. qui ait: *Quod si debitori liceret jus reuolutionis cedere extraneo, consequeretur, creditori minus permissum esse, ut majus pretium, idemque ab extraneo oblatum solvere, atque adeo cum penitus excludere posset.* Porro si licita esset reuolutionis cessio, casus vix existeret, quo à debitore pinguior emtor offerretur: qua ratione creditori jus illud protimiseos oblique inuenteretur. In qua ordinatione expressa extant verba: *Soll dem Schuldner frey stehen / das Gut innerhalb Jahres Frist selbst wieder an sich zu lösen, oder auch einen andern zu verschaffen, der ein mehrers davor giebt.* Qua ipsissima verba repetuntur in O. P. S. tit. 39. §. Damit auch der Schuldner etc. Ex quibus omnino patet, quod reuolutio, quæ est remedium extraordinarium atque juri communi contrariatur, ultra expressa in legibus verba non sit extendenda. Exercere volenti igitur jus reuolutionis ex jure cesso, opponi potest istius juris inaccessibilitas, & hoc corroborat præjudicio quodam SVEND. ad FIBIG. p. 1065. Nec debitori aliter reuolutio permissa, nisi in proprium commodum bona reuerit; hinc juramentum ipsi imponendum, quo ad instantiam emptoris asserere tenetur, quod sibi & non in favorem tertii retrahat, quæ contra reuolentem suspicio simulationis militat, v. RIVIN. in E. J. tit. 40. en. 16. qui etiam dicit d. l. en. 18. quod jus reluendi feudum paternum non sit cessibile, idque præjudicio confirmat, vid. SVEND. ad FIBIG. p. 1070. & quidem hac formula: *Auf etc. Daß N.N. vor allen Dingen, daß er sein sub-*
hastir-

hastirtes und an N. N. adjudicirtes, Hauß selbst an sich
lösen wolle, eydlichen zu erhalten schuldig.

S. XI.

Longe alia questio est, an jus reuolutionis possit
transmitti? Negamus, quod hæc regula, quod nimi-
rum omnia bona transmissibilia sint cessibilia, univer-
saliter sit vera, uti §. antec. iamjam demonstravimus,
haud vero negamus, quod jus reuolutionis sit transmissi-
bile; competit scilicet illud debitorum liberis, aliisque
eorum heredibus, videantur dictæ Ordinationes *ll. al-
leg.* & RIVINVS *in Enunc. Juris tit. 39. enunc. 62. 63.* nec
non Dn. BERGER. *in Elect. Disc. for. Obs. 12. p. 1210.*
MOLLERVS *ad Constit. Elect. P. I. Constit. 32. n. 33.*
MARTINI *ad O. P. S. tit. 39. §. 13. n. 24.* PHILIPPI *in
tr. de Subbast. c. 4. comm. 13. n. 38.* GRATIAN. *Discept.
forens. c. 978. n. 11.* MANGIL. *de Subbast. qu. 10. n. 7.*
HARTM. PISTOR, *p. 1. q. 21. n. 1.* atque sic regulariter
in jure reluendi locus est edicto successorio. Hic au-
tem duo casus occurrunt, alter, an filius jure reuolucio-
nis in bonis paternis, vivente patre, uti possit? alter est,
an, mortuo eodem, id facere queat? Facultas Jurid. Wit-
teberg. pronunciavit, quod utroque casu filio permis-
sa sit in bonis sub halla venditis reuolutio, quæ debitori-
bus in solatium sit concessa, teste Dn. BERGERO *part.
2. Supplem. Elect. Discep. Forens. ad tit. 39. §. 13. observ.
VIII. n. 28. p. 680. 699. 715.* & quod illud non sit privile-
gium personale, quod personam tantum sequatur, &
cum persona extinguatur. *Cap. privilegium personale de
R. J. in 610.* sed omnino intra annum à filio, sive vi-
vat pater debitor, sive mortuus fuerit, exerceri possit.

C 2

Res

imo

Jurid. Fickelheria

Res quidem in aprico esse videtur, quod filius mortuo patre, & anno relictionis nondum elapso; si Patris hæres in commodis & oneribus exlitterit, jus relictionis patri competens exercere queat, non obstante, quod soli debitori jus illud competere dicatur, cum filius tantquam hæres patris etiam sit debitor; sed num, Patre vivo, filius etiam jus relucendi habeat? quæritur. Pro affirmativa sequentes rationes, quas allegat Dn. BERGER l. c. ex Responsis Wittebergenf. & Lipsiens. Jctorum ad mandatum Potentissimi Electoris Saxon. confectis, adducuntur, quod 1.) non solum filius pars corporis patris sit, *L. 22. in fin. C. de Agricol.* & cum eo una eademque persona censetur, vid. *Glossa in Cap. super eo. 22. in verb. Cum mater X. de Testib.* Exinde etiam, vivente patre, quodammodo dominus bonorum paternorum existat, *Glossa in Novell. quest. 6. & 2.)* præsertim in ad ducta *Ord. Torq. & O. P. S. dd. ll.* debitori sub hasta vendita & a creditore licitata bona vel permilla sint relucere, vel offerre pinguorem emtorem. Pro negativa sententia haud leviores militans rationes, quas in conflictu data occasione adducam.

§. XII.

Vidimus jamjam, quod jus relictionis possit quidem in hæredes transmitti, sed minus cedi; quando autem filius reluit bona paterna, necesse etiam est, quod sit pro hærede habendus; itaque etiam tenetur creditoribus reliquis, quibus nondum fuit satisfactum, respondere, quod etiam patet e Jure Feudorum, Filium adstringente, ut, si velit in Feudo succedere, debeat quoque patris hæres esse in allodialibus, & contra, nisi

Domi-

Dominus Feudi consentientibus agnatis ipsum de novo investiatur, eique permittat libertatem repudiandi hæreditatem paternam II. Feud. 45. STRYCK. *Exam. Jur. Feud. cap. 16. qu. 21.* & passim alii DD. Feudales. Ex his sequitur, quod ad filium transmittatur jus reuisionis, si pater adhuc tempore reuisioni destinato moriatur, & aliquid supersit de anno reuisionis, attamen necessitatis non est, ut feudum aut allodium præcise reuatur. Nam alias oporteret etiam eum heredem esse; quia autem ab hereditate abstinere potest, inde reuisione frui non cogitur.

§. XIII.

Jus reuisionis etiam adhuc obtinet, si extraneus a creditore fuisset subornatus, ut licitaretur, & si hoc fieret a creditore tantummodo, ut debitorem beneficio exueret, atque ipse in possessione quietus maneret, ipsi fraus prodesse nequit. Fraudulenta vero illa subornatione præsumpta, juramentum purgatorium creditori injungitur, vid. RIVINVS in *Enunc. Jur. tit. 39. enunc. 65.* Alias extraneus licitator, si bona fide fuerit actum, non prohibetur cedere jus suum creditori, & tunc expirat reuisionis. vid. RIVIN. *cod.* Nec præsumitur, quod quis pro alia persona licitatus fuerit, uti exemplum adductum a Dn. BERGERO in *Supplementis Elect. P. II. tit. 39. suppl. 25.* id demonstrat, quod scilicet pupilli creditoris tutor, qui licitatus in prædium debitoris, non præsumatur pupilli nomine id fecisse, nisi tantum paratæ pecuniæ, quantum sat est, possidere demonstraret pupillus.

C 3

§. XIV.

§. XIV.

Quæritur: an minori & pupillo concedatur restitutio juris reuisionis, quando semel ab ipsis tutoribus curatoribusve annus ille ad reuisionem concessus fuerit neglectus? Pro affirmativa posset adduci, quod prius contra tutores vel curatores experiri debeant minores aut pupilli, num. damnum ob negligentiam illorum illatum refarciri queat, & quod tunc demum, si tutores vel curatores non sunt solvendo, restitutionem petere queant, præsertim cum beneficium restitutionis in integrum sit remedium prætoris extraordinarium, regulariter dari non solitum, ubi ordinarium de jure competit, *l. 16. pr. de minorib.* Jam ordinarium est remedium actionis tutelæ directæ vel utilis, competens minoribus vel pupillis contra tutores vel curatores, ad damna ipsorum culpa vel negligentia illata restituenda. Sed in contrarium facit *l. 3. C. si tut. vel curat. interu.* ubi electio pupillis & minoribus conceditur, utrum tutores vel curatores suos convenire, an statim restitutionem in integrum petere velint; conferatur HARTM. PIST. *lib. 1. qu. 12. n. 6. 7. & seqq.* ubi hanc rem pro more suo plene & accurate deduxit. Et sic minor aut pupillus in præsentibus casu, quando tutores vel curatores annum reuisionis labi passi sunt, contra hanc præscriptionem ipsis oppositam, statim petere possunt restitutionem in integrum, ut non prius teneantur convenire tutores aut curatores suos.

§. XV.

Tenetur creditor fandum in ea qualitate restituere debitori reluenti, qua ipsi fuit traditus, RIV. *d. l. Enunc.*

Enunc. 66. itaque creditori danda est opera, ut fundum sibi addictum, intra destinatum illum annum, factum rectumve conseruet, neque majores justo sumtus in eam impendendo reuisionem reddat difficiliorem, Dn. BERGER. *in Elect. tit. 39. obs. 12. & Ord. Recogn.* verbis: *Wor- bey denn die Creditores erinnert werden u. MARTINI supra alleg. loc. n. 70. seqq.* SVEND. *ad FIBIG. p. 1072.* Non autem creditor debitori reluenti rationes reddere, aut fructus hactenus perceptos, restituere obstrictus est. MART. *l. c. n. 70. seqq. & arg. L. 26. pr. C. de Usur.* CARPZ. *P. I. Constit. 32. defn. 56. n. 2.* Idem *in Processu tit. 25. art. 5. n. 48.* ANTON. FABER. *in C. Lib. 4. tit. 30. def. 26. 31. seq.* SVENDEND. *l. c. p. 1071.* Quodsi autem debitor eo audaciæ procederet, & rationes iurget, creditor poterit exceptionem non competentis actionis opponere. Et hoc indistincte siue debitor siue alius per majoris pretii oblationem reluat, procedit. MART. *c. l. n. 76.* & SVEND. *cod.* Attamen debitor reluens restitutionem damnorum, quæ a creditore per dolum commissæ sunt, recte petit. E contrario creditori in casu reuisionis veniunt multa præstanda. Nam creditor potest exigere restitutionem meliorationum & impensarum in rem, vel fructus quarendos bona fide factarum, ne debitor vel tertius extraneus pinguior emtor cum damno creditoris locupletior fiat; dein quod fructus atinet, impensæ ad illos quarendos factæ ipso jure minuant fructus. Ubi partes non conveniunt, judicis moderatio sequi debet. RIVIN. *ad tit. 39. enum. 66.* MARTINI *l. c. n. 70.* SVENDENDÖRFF. *p. 1071.* Nec debitor aut pinguior extraneus emtor de injuria conqueri possunt;

sunt; cur enim non citius reluitione usi sunt? Aut, si diu illam ferme ad finem usque anni distulerunt, lucrum usurarum perceperunt, CARPZ. *in Proc. tit. 25. Art. 5. n. 49.* MARTINI *l. c. n. 76.*

§. XVI.

Hoc loco quæritur, an creditor, reluitione facta, jus retentionis, quando ipsi ratione debiti sui non fuerit plenarie satisfactum, exercere possit? Distinguendum esse putamus inter debitorem ipsum reluentem, & inter tertium pinguorem emtorem, quem debitor intra legitimum tempus sistit, & quem creditor idem pretium offerendo non repellit sed admittit. Contra illum potest exerceri jus retentionis, licet solvat pretium a creditore in subhastatione constitutum. Sicuti enim creditor mutuo dando pecuniam debitori, & ab eo in securitatem accipiendo pignus, retinere hoc post factam debitoris solutionem potest ex alia causa, *l. unic. C. etiam ob chirogr. pec. pign. ten. posse.* confer LAVTERB. *Disput. de Retentione §. XVI.* ita vi hujus constitutionis creditor accipiendo pecuniam, quam debitor ob reluitionem ipsi solvit, exercere potest retentionem, quando ipsi nondum plene est satisfactum. Nam creditor post traditionem est in possessione rei debitoris sub hasta emtæ; hanc porro exercere, & sic retentione uti potest, postquam pretium illud, quod ipse in subhastatione constituit, debitor solvit; licet enim rem emtam non acceperit titulo pingnoris, (de quo casu specialiter loquitur *d. l. unica*) ex jure tamen notum est, quod leges ad alios similes casus non expresse decisos, ob paritatem rationis & æquitatis (quæ semper in Jure spectanda est, *l. 90.*

l. 90. de R. I.) per bonam consequentiam extendi & applicari queant; *l. 10. 11. 12 & 13. de LL.* quod ipsum maxime in legibus Codicis Justiniani, casus speciales Imp. oblatos decidentibus, observari, & extensio ad alios similes casus fieri debet, sicuti e.g. patet ex *l. 2. C. de rescind. vendit. l. diffamari §. C. de ingen. manumiss.* in nostro casu par subest ratio & æquitas, qualis est in pignoris retentione ex *d. l. unica*, ubi solvit debitor illud, ob quod dedit pignus, & nihilominus creditor ex alia causa, etiam solum chirographaria, retinere potest pignus, præsertim cum retentio etiam exerceri queat a creditore in re, quæ non est data pignori, ceu plures casus e jure adfert LAVTERB. in dict. disp. §. XIX & XXII. Accedit, quod, si creditor redderet debitori rem soluto pretio, quod ipse in subhastatione constituit, & propter quod adjudicatam & traditam eam accepit, citra controversiam posset agere contra debitorem ad solvendum reliquum debitum, & urgere, ut denuo res illa, quam reluit debitor, deficientibus aliis solvendi mediis, subhastationi subjiceretur; dum igitur habet actionem contra debitorem, quidni ei ob extensionem justam *d. l. unica* concedatur retentio?

§. XVII.

Porro ut relucio locum inveniat, oblatio pretii per debitorem aut emtorem pinguiorem realiter fieri debet, ob verba *Ordin. Torgav. tit. von Feilbietzen §.* damit auch in verbis: jedoch daß solcher auch binnen der Jahres Frist wirklich erfolge, quæ verba reperuntur in *O. P. S. tit. 39. §. 13.* Quomodo autem sint intelligenda, discrepant DD. Saxonici, CARPZ. *P. I. Constit.*

D

32. De-

Wolff Pictel v. Hettich

32. *Defin. 55. PHILIPPI in Tract. de Subhast. Cap. 4. com. 12. n. 89. segg. SVEND. ad FIBIG. p. 1071. MARTINI ad O. P. S. tit. 39. §. 13. n. 60. segg.* putant, non requiri, ut pecunia realiter solvatur, cujus pretio creditor rem debitoris subhastatam emit, sed sufficere verbalem oblationem intra annum faciendam; argumenta pro sua sententia adferunt sequentia. (1.) Quod solo consensu & mentis declaratione perficiatur emtio, quantumvis pretium numeratum haud sit, modo de eo convenerit. *pr. I. de emt. vend. L. 1. in fin. L. 9. in pr. ff. de contrahend. emt. L. 2. pr. L. 48. de Obl. & Act.* sed redemptio seu redemptio nihil aliud est, quam species emtionis venditionis. (2.) Quod Ord. Electoralis ne verbulo quidem exsolutionem pretii requirat, propterea erubescendum sit sine lege loqui, aut absque juris autoritate aliquid statuere, *L. 5. C. de repud. Cap. 18. in fin. X. de Sententis excomm. in glo.* (3.) Quod in emtione sub hasta permis- sum sit, solutionem pretii in diem & destinatis terminis facere, itaque etiam retrahenti easdem dilationes & condiciones, quas emtor habet in exsolvendo pretio, concedendas esse multis argumentis probet TIRA- QVELL. *de Retractu §. 1. Gloss. 18. n. 34.* Antequam ad hac argumenta respondeamus, distincti casus veniunt considerandi. Aut enim creditor, qui ad liquidum deduxit jus suum, & executionem per subhastationem impetravit (1.) tantam pecunia summam, quantum pro pretio in publica licitatione statuit, a debitore exigere potest, quo casu perinde habetur, ac si summam illam in pecunia numerata realiter solvisset, & tunc, si alius extraneus non plus licitatus est, res subhastata ipsi adjudicari

dicari debet (2.) minorem summam a debitore exigere potest, e. g. creditor ratione rei debitoris subhastata licitatur 400 taleros, cum tamen debitor solum 100 taleros ipsi solvere teneatur, sed reliquos 300 in licitatione offert solvendo tribus distinctis vicibus, & quidem singulis annis 100 taleros. In priori casu, si debitor reluere vult rem subhastatam a creditore, tantam pecuniam summam intra annum realiter solvere debet, quantum creditor ab eo exigere poterat; ratio in promptu est, quoniam talis summa ad liquidum deducta perinde reputatur, ac si realiter a creditore fuisset soluta. In altero casu debitor, qui vult reluere, 100 taleros intra annum creditori solvere tenetur, reliquos illis distinctis vicibus, quas creditor in licitatione publica statuit. Si vero creditor quidem minorem summam, quam in subhastatione licitatur, exigere potest a debitore, sed reliquum in parata pecunia solvit (e. g. creditori debeatur 100, sed ipse in subhastatione praedii debitoris licitatur 400, & solvit in parata pecunia 300, reliquos autem 100 reputat pro suo debito liquido) debitor, qui vult reluere, intra annum realiter solvere debet 400. Nam ipse iisdem conditionibus in quanto, quali, & pro ratione temporis reluere rem debet, quibus creditor emit. Alias si juxta citatos DD. sufficeret verbalis tantum oblatio, & non realis solutio requireretur, ubi tamen creditor realem solutionem in parata pecunia obtulit & praestitit, hujus conditio longe deterior redderetur, cum in multos annos debitor morosus differre posset realem solutionem. Nostrae sententiae non tantum ad stipulantur RIVINVS *tit. 39. Enunc. 61. 64. Dn. BER-*

Ursula Fickelheria

GER in Elect. tit. 39. observ. 12. sed & eandem roborat
 constitutio Elect. Torgav. tit. von Feilbiethen §. Damit
 auch, in verbis: dasselbe innerhalb Jahresfrist selbst wie-
 der an sich zu lösen (sed non reluit, qui non prastat
 prastanda) item in verbis: daß solcher auch binnen der
 Jahrzeit würdlichen erfolge (ubi autem solum ad sunt
 verba, non adest realitas, quæ tamen hic requiritur) &
 C. P. S. tit. 39. ubi eadem, quæ in Constitutione Torga-
 viensi extant, repetuntur. Ad argumenta superius in-
 contrarium adducta respondemus, & quidem ad 1.) relui-
 tionem esse quidem speciem emtionis, & emtionem alias
 perfici nudo consensu, sed juxta jura Saxonica Electoralia
 in reluitione a parte debitoris peculiariter requiri realem
 prastationem ejus, quod prastitit creditor, (daß dasjeni-
 ge an seiten des debitoris würdlich erfolge, was der cre-
 ditor seiner seits geleistet hat.) Quando hic emit rem in
 subhastatione pro 400, ille, qui vult reluere, etiam 400
 solvere debet, nec auditur, si tantum 300 offert; quan-
 do creditor emit pro parata pecunia, debitor etiam ad
 solvendam paratam pecuniam obstrictus est; quando
 autem creditor emit partim pro parata pecunia, partim
 sub certis temporum vicibus (auf gewisse Tage Zeiten)
 haec vices etiam debitori quoad alteram partem profunt,
 si alteram partem in pecunia numerata solvit; & ita-
 porro debitor ad omnes conditiones, quibus se obstrin-
 xit creditor, prastandas obligatur; sicuti contra debito-
 ri profunt omnes conditiones, quas in emtione credi-
 tor ad suum commodum sibi reservavit, ut hac ratione
 non possit melior esse conditio debitoris in reluendo,
 quam fuit creditoris in emendo, dum in hujus locum
 ille

ille succedit. Ad 2.) licet nomen exsolutionis *κατά τὸ πρότυπον* In constitutionibus civitatis non extet, sufficit, alia verba æquippollentia ibidem reperiri, (an sich zu lösen, würdlichen erfolge) ceu antea monstravimus; ad 3.) totum hoc argumentum conceditur, sed inde non inferitur, quod erat probandum; Nam sicuti luenti debitori dilationes & conditiones, a creditore emtore in commodum suum tempore licitationis adjectæ, proficiunt, ita vicissim debitores, reluere volentes, adimplere debent conditiones, quas creditores tanquam sibi onerosas in licitatione posuerunt, e. g. quod non destinatis terminis, sed simul & statim pretium totum solvere velint. Etiam a contradicentibus recte adfertur exemplum de retractu e Tiraquello, quod optime ad nostrum casum applicari & contra dissentientes retorqueri potest, quoniam reluitio est species quadam retractus, e Statuto Electorali competens. Ita si extraneus emtor in materia retractus statim offert numeratam pecuniam, & solvit, etiam is, qui cum effectu vult retrahere, intra annum, ad retrahendum concessum, talem paratam pecuniam solvere debet. Majoris illustrationis gratia repetemus casum supra propositum: Cajus ratione liquidi debiti 100 impetravit executionem & subhastationem prædii Tusculani contra debitorem Mevium, & licitatus est 400 in prædium illud, ita quidem, ut 100 liquidi debiti imputare velit in partem pretii, reliquos 300 in parata pecunia solvit, & adjudicationem impetravit. Si jam Mevius non esset obstructus, intra annum solvere paratam pecuniam, profecto Cajus in deteriore esset conditione, quam si reliquos

D 3

300

Ursi Fickelheria

300 non statim & una vice, sed distinctis temporibus, (scilicet e. g. tribus proximis annis) solvere promississet; in hoc enim casu Mevius vices illas stricte observare teneretur, sed in priore per nudam verbalem oblationem posset differre realem solutionem in multos annos, quoniam non adesset amplius certum tempus solvendi, scilicet annus relutionis actualis & realis, in posteriore autem casu vices in licitatione statuta accurate deberent observari. Sed & monendum hic est, quod, si emtor oblatam pecuniam acceptare respuat, debitor illam judicialiter deponere possit, nisi committere malit, ut ab omni relutione postea arceatur. vid. *O. P. S. tit. 39. §. 1.* Damit aber 3c. ibique Dn. BERGER. *Obf. 12.* Denique non concessum est debitori uti jure relutionis, si non pecuniam, sed rem forte aliam offerat, *L. 4. §. 3. ff. de re judic.* nec solvat in eadem moneta bonitate; semper enim eodem modo, eodemque pretio fieri debet revenditio, quo res fuit vendita, ne vel emtoris vel venditoris conditio dura pariter & iniqua reddatur, COLER. *Decis. 28. n. 43.* DD. *in L. 3. §. 22. ff. Si certum petatur.* Quare si valor monetae mutatus fuerit, aestimatio ea, quae fuit tempore venditionis, inspicere ac secundum hanc pretium relutionis solvi debet. Nam & alias valor monetae respiciendus est, qui fuit tempore contractus, CARPZ. *P. II. Const. I. Def. 22. & Const. 28. P. I. Idem.* MARTINI *L. 5. n. 64. sqq. L. 2. C. debitor. vend. pign. imped. non poss. L. I. Et penult. C. si vendatur pign.* CARPZ. *Lib. 5. Respons. 94.* Nec debitor majus solvere pretium tenetur, quam quod licitator solvit, cujus facto nunc advocatur res, non quan-

quantum ipsius in rem singularis successor. Nam et si posterior iste pluri emissit, non tamen cogitur redemptor aliud, quam prioris emtionis pretium reddere. *arg. L. 19. §. 9. ff. de Captiv. & postlim. revers.* SVEND. ad FIBI. p. 1067. & MARTINI c. l. n. 66. *segg.* At tamen etiam non sufficit, dari pignora vel fidejussores quantumvis idoneos, sed omnino pecuniam, quam dedit emtor, retrahens restituere cogitur, *L. 21. §. fin. ff. de Constit. pecun.* HARTMANN. PISTOR. P. II. *quest. 12. n. 6.* TIRAQUELL. *de Re tract.* §. 3. *Gloss. 3. n. 14.* SVEND. ad FIBIG p. 1069. PHILIP. *in Tract. de subhast. cap. 4. comm. 13. n. 104.* Et, si aliquid modicum restat, debitor non auditur, ANTON. FABER. *in C. Lib. 8. tit. 17. def. 3. & tit. 16. def. 7. & 20.*

§. XVIII.

Hoc tamen nec prætereundum est, quod creditor, resolutione facta statim teneatur rem restituere; quia nullus est favor moratoris, sive debitor ille sit, sive creditor; ne sua ei mora & frustratio profit, *L. 37. ff. mand. L. 173. §. 2. ff. de reg. Jur.* ANTON. FABER. *in C. Lib. 8. tit. 29. def. 47. n. 4.* Audivimus itaque, quod neque creditori neque debitori mora ullum commodum afferat; si enim debitor, facta adjudicatione, bonis subhastatis excedere nollet, tunc judicialiter est exmittendus, & nihil impedit, quo minus annale spatium resolutioni concessum currat, vid. CARPZ. *P. I. Const. 32. def. 54. n. 6.* & MARTINI *ad. O. P. S. tit. 39. §. 13. n. 58.*

§. XIX.

Hinc venit consideranda actio debitori competens,

Summi Fickelwether

tens, in casu si a creditore pradium intra tempus
 reuisionis annale alienatur. Putaret autem quidam,
 quod creditor per alienationem pradii, quamprimum
 in suam deuenit possessionem, debitori facultatem
 reluendi possit adimere; sed absit hoc, licet ex iure
 reuisionis actio realis debitori haud competat, qua
 aduersus tertium possessorem experiatur. Sed nego,
 iure reuisionis haud affici bona, creditori post perfe-
 ctam licitationem adjudicata. Neque enim forte ex
 pacto personali sed ex statuto & Lege Sax. potestas re-
 luendi competit debitori, ex qua licet non actio rea-
 lis, sed personalis, puta, condictio ex statuto descen-
 dit, ea tamen vi statuti in rem scripta videtur, ut
 mirum haud sit, reluentem aduersus quemcunque pos-
 sessorem agere posse, quod & verba generalia & indefi-
 nita Ord. Torgaviensis sub tit. Bom Feilbietthen, §.
 Damit auch versch. wieder an sich zulassen re. luculen-
 ter innuunt. Conf. pluribus de hac materia MAR-
 NINI l. c. n. 14. & in Proc. tit. 25. art. 5. n. 33. & seqq.
 CARPZ. P. I. Constit. 32. def. 53. PHILIPP. in Tract.
 de Substat. Cap. 4. comm. 13. n. 28. 29. TIRAQVELL.
 de Retractu §. 8. Gloss. 6. n. 14. seqq. §. 12. Gloss. 1. n.
 2. seqq. GAIL. Lib. 2. Obs. 19. n. 6. 7. BERLICH. P. 2.
 Concl. 39. n. 97.

§. XX.

Emtor sub hasta etiam ad Laudemii exsolutio-
 nem obstringitur; sed hoc secus est in debitore, qui
 bona sua creditori suo adjudicata iure reuisionis redi-
 mit, non enim iste laudemium domino suo prestare
 tenetur. Ratio est in promptu, quia reuisio seu re-
 demtio

demtio non ex nova aliqua causa fit, sed ex necessitate & causa antiqua inhærente primæ venditioni, cui dominus semel consensit, ut sic in reluitione ejus consensum denuo requirere debitor opus non habeat, MOLLER. *Lib. 4. Semestr. 3. n. 2. 4.* CARPZ. *P. I. Const. 32. def. 57. & in Proc. tit. 25. art. 5. n. 53.* HARTMANN. PISTOR. *P. I. questionum 50. n. 22.* MARTINI *l. c. n. 89.* Vt autem retrahens emtori creditori omnes impensas & meliorationes necessarias & certis casibus utiles, restituere obligatus est, ita quoque laudemium, quod pro confirmatione emtionis venditionis sub hasta factæ creditor domino dare necesse habuit, refundere obstrictus est, BERLICH. *P. II. Concl. 41. n. 33. 37.* PHILIPPI *de subhasta. l. c. n. 720. seqq.* TIRAQUELL. *§. 29. Gloss. 4. n. 5.* & id eo extenditur, ut, licet emtori laudemium a domino donatum vel alio modo remissum fuerit forsan ob peculiarem fauorem, vel, quia dominus ipsi debet, hoc nihilominus a retrahente peti possit, cum nemo ex alterius beneficio sibi emolumentum quarere valeat, BERLICH. *d. l. n. 36.* SVEND. *ad FIBIG. p. 1073.*

§. XXI.

Quod res, quam a creditore reluit debitor, de novo subhastationi sit obnoxia, recte affirmat Dn. BERGER. *in Elect. tit. 39. Obs. 12. n. 3.* nec præterea regulariter creditorum interest, utrum debitor ipse, an tertius quidam, modo ab illo causam habeat, rem possideat. Quæcunque autem pendente concursu, acquiruntur debitori, ea referenda sunt ad ejusdem massam, attamen, his præsuppositis, non statim affirmare

E

licet,

Suppl. Fickelwherian



licet, quod debitor, quæcunque finito concursu acquirat, ea quiete retineat; nam quando forsân quibusdam creditoribus non fuerit satisfactum, iis satisfacere ex postea acquisitis debitor omnino tenetur. Nec cum debitor caruerit alienandi facultate, titulo, quem ab illo habet, sese tueri potest tertius possessor. Quæ disquisitio agitata fuit in summo Provocationum Senatu anno 1703. teste Dn. BERGERO. l. c.

§. XXII.

Jam etiam considerabimus, quando plures adsunt debitores, quid obtineat? Hoc casu, si unus tantummodo jure relutionis uti vult, ipsi non denegandum illud est, sed tamen pro rata tantum reluentis domus vel prædium sub hasta emptum repeti potest. Nec apparet, quo jure, quave ratione cohæres ad relutionem totius domus pervenire possit, cum solus non existat debitor, CARPZ. *Decis.* 71. n. 8. & PHILIP. *d. l. n. 45. n. 45.* si duo vel plures hæredes rem communem reluant, & in communione stare nolunt, invicem certare incipientes, cuinam res præ altero sit adjudicanda, cum divisionem hæc non recipiat, ad satisfactionem deveniendum est. Ante omnia enim constare debet de vero & majori pretio, quanti tunc temporis æstimetur, ad hoc scilicet ut alteri pars pretii veri exsolvatur, *Constit. Elect.* 33. parte 3. ibique MOLLER. n. 1. Illud autem justum & verum habetur pretium alicujus rei, quanti communiter valet, quodque extraneus quisvis licitaturus atque daturus esset. *Glossa in L. 15. ff. de re jud. quo & faciunt verba Constit. Elect.* 32. P. I. & O. P. S. tit. 39.

§. 80

§. So soll man ic. ibique verba : so am meisten dafür geben will ic. Hoc ergo ut innotescat, subhastatio precedat necesse est, ad indagandum verum justumque pretium. *L. 3. C. de exce. rei judic. L. 2. 3. 6. C. de fide & jure bast. Fife. L. 16. C. de rescind. vendis.* Unde summus provocationum Senatus term. Mart. 1643. ita pronunciavit teste PHILIP. *l. c. n. 46. seqq.*

§. XXIII.

Affine quid est juri reluendi, de quo hactenus fuit actum, pactum de retrovendendo, & circa hoc est notandum (1.) Multum differre, utram venditor Jus Reluendi certo tempore exercendum sibi reservaverit, an vero venditioni ad certum tempus facta pactum retrovenditionis fuerit adjectum. Priori casu, tempore exercendæ reluitionis elapso, nulla ulterior reluitio obtinebit, sed casu posteriori res aliter se habet; licet enim hoc casu tempus sit praterlapsum, tamen adhuc reluitioni locus relinquitur. *CARPZ. P. II. Constit. 1. def. 9. & lib. 5. Resp. 28. n. 13. (2.)* Differre etiam pactum de retrovendendo & pactum de reemendo, quamvis in retrovendendo actuali contineatur quoque reemptio. Pactum de retrovendendo imponit emptori necessitatem, ut, si velit venditor rem venditam reemere, teneatur retrovendere; in pacto autem de reemendo imponitur venditori necessitas rem venditam reemendi, de quo pacto posteriori agitur *in l. 31. §. 22. de adilit. edict.* Porro Jus Reluitionis translationem domini non impedit, nec pactum de retrovendendo *CARPZ. P. II. const. 1. def. 18.* nec pactum commissorium emptioni venditioni adjectum ei impedimento est, quantumvis potestate sua contractum dissol-

E 2

vat

Juris Fideiherediarum



vat *L. ult. ff. de leg. commiss.* MYNSING. *Cent. 6. observ. 70.* CARPZ. *P. 1. constit. 30. def. 56.* PHILIP. *de Subhast. cap. 4. comm. 13. n. 88. seqq.* MARTINI *ad O. P. S. tit. 39. §. 13. n. 79.*

§. XXIV.

Præterea monendum erit, quod, quando debitor remedio ordinario uti possit, haud ipsi succurrat remedium extraordinarium. vid. PHILIP. *de Subhast. Cap. 4. comm. 13. n. 59. seqq.* ne duo specialia circa unam eandemque rem contra juris prohibitionem concurrant. BERLICH. *P. I. Concl. 81. n. 195. & Decis. 196. n. 4.* CARPZ. *P. I. Const. 32. def. 59.* Itaque Jus Relutionis præter casum supra in §. VII. allegatum non est extendendum, nec ultra literam statuti exorbitantis producendum. SVEND. *ad FIBIG. p. 166.* Item Dn. BERGER. *in Elect. tit. 39. Obs. 12. not. 2.* Etenim in Electoratu Saxoniz juxta *Ordin. Proc. tit. 39. §.* Und weil II. triplex est modus subhastandi, ut (1.) Bona pro executione capta absque ulla taxatione proclamantur (2.) præcedente creditoris licitatione bona exponantur venalia, nullo scil. reperto licitatore. (3.) judicialiter taxentur, & sic taxata publice proclamantur; Casus autem relutionis, de quo hæctenus fuit actum, solum obtinet in secundo illo subhastationis modo.

F I N I S.

JAM BEYERE, petis subsellia docta Sazanæ,
ET, quibus es dignus, præmia grata refers.
Dumque TIBI applaudunt, & TE mirantur amici;
Quæ fundit pieras, accipe vota mea.
Accipe vota, (mihî quid enim, nisi vota supersunt?)
Mox imple, supra vota, precesque meas.
Det, queis dignus eris, TIBI Justinianus honores
Quosque reservavit patria lata TIBI.
Cresce in spes patriæ, dulces, in spesque PARENTVM
Lætitiâ ut possit significare suam
Qui hodie de Doctorali dignitate gradulabundus adposuit
Georgius Christophorus Zollmann/
Coburgens. LL. C. Opponens.

JAM Tua victrici circumdat tempora lauro
Et TIBI pro meritis dona Minerva parat.
Namque laborasti dudum sub mollibus annis
Virtutum & famæ compita recta sequi.
Hinc merito es semper studiis operatus honestis,
Versasti & nostri publica jura fori.
En! virtute Tua nunc digna brabea reportas,
Quæ peperit studii gloria rara tibi.
Gratulor ergo TIBI virtutis & artis honores;
Laudis & ut capias culmina summa, precor.
Hæc pauca, eum opponentis munere perfungi mihi con-
tingeret, rogatu clarissimi Doctissimique Domini
Doctorandi, Fautoris maxime suspiciendi, adjicere
volui, simulque gratulari de nactis utriusque ju-
ris honoribus.

Joh. Friedericus VVachs. LL. C.
Tabarzio-Gothanus.

Co


J. V. F. Fickelherm

So will Hoch-Edler Freund in dir sich doppelt
zeigen
Des Vaters hoher Geist, der Ahnen Tugend-
Glanz
Dein steter Helben-Bleiß will noch nicht stille schwei-
gen
Drum schenckt Akraa Dir mit Recht den Lorbeer-
Eranz
Der Himmel wolle Dir den Seegens-Bach ergießen
Auf Dein Gelehrtes Haupt, zu hoher Freunde
Ruhm,
So wird der künfftig hin die alte Kunst genießes
Der sich mit rechte nennt, dein wahres Eigenthum.

Hiermit wolte seinen wertheften Gönner
und Lands-Mann zu der erlangten D.
Acad-Würde erfreulichst gratuliren

Deßen ergebenster Diener

Johann Gottfried Wolff/
LL. Cult. & Oppon.



ULB Halle

3


003 920 380



5b.







B.I.G.

Farbkarte #13

1724, 2

3

DISSERTATIO IVRIDICA INAVGVRALIS
DE

**IVRE RELVITIONIS DEBL-
TORI CONTRA CREDITO-
REM IN SAXONIA ELECTO-
RALI COMPETENTE,**

AVAM
ADNVENTE NVMINE DIVINO
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO
DOMINO

GVILIELMO HENRICO

DVCE SAXONIAE IVLIACI, CLIVIAE AC MONTIVM,
ANGARIAE WESTPHALIAEQVE ETC. ETC.
PRAESIDE

GVILIEL. HIER. BRVCKNERO
ICTO, CONSILIARIO SAXONICO, PANDECTARVM P. P. CVRIAE PROVIN-
CIALIS, FACVLTATIS IVRIDICAE ET SCABINATVS ASSESSORE GRAVIS-
SIMO, EIVSDEMQVE FACVLTATIS h. t. DECANO SPECTATISSIMO
PATRONO AC PROMOTORE SVO AETERNVM SVSPICIENDO

PRO LICENTIA
SVMMOS IN VTROQVE IVRE HONORES AC PRI-
VILEGIA CONSEQVENDI
PVBLICAE ERVDITORVM DISQVISIIONI
SVBMITTIT

AD DIEM XI. MARTII M DCC XXIV.

AVCTOR
IOANNES GODOFREDVS BEYER,
DRESDENSIS.

IN AEA, LITTERIS MVLLERIANIS.

Julius Fickelherianus